



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Acta Ecclesiae Mediolanensis

Actorvm Ecclesiae Mediolanensis, Pars Tertia - In Qva, Liber Memorialis Ad
populum Ciuitatis, & Dioecesis Mediolanensis, A Beato Carolo Borromaeo
Titvli Sanctae Praxedis compositus continetur

Borromeo, Carlo

Brixiae, 1603

De eius aedificationibus. cap. 8.

urn:nbn:de:hbz:466:1-10502

conquereretur; ex familiaribus quēdam a se nulla facta potestate, cellis penarijs omnibus afferre manus, & effundere largiter. Carolus autem ita sinere iussit; cum eleemosynis tribuendis ille præfectus esset. Lis illata erat eius nomine Cardinali, primis Pij Quinti annis, de nobili Abbatia aureorum annuorum circiter duodecim millium; cumque accepisset, sacros Rotæ Romanæ iudices nō nulla iudicasse, quibus facile, vel potius sine dubio sese causam obtenturum speraret; sponte cessit, ac præter omnium opinionē remisit, quidquid ea in re posset consequi motus, ut aiebat, quod neque negotijs eiusmodi volebat suum a rebus diuinis animum distrahi; neque cum collega iudicio disceptare: omnino, quod litem nullam, quæ ad se priuatim pertineret; in qua esset actor, prosequi apud se cōstitutum habebat. nō enim eam sibi satisfacere rationem; quod posthabita omni diligentia, ne dum perturbatione; iudicibus rem totam posset permittere: respiciendum nāque esse quomodo posset ille, videri peteretur, ex actione commoueri; cuius animum remittendo sedare, & ad amorem allicere in sua manu esse videret. factum mire collaudauit Pontifex; collegæ, alijque omnes: magnūque boni reliqui ex eo lætitiæ fructum, propter illustris, religioſique exempli vtilitatem, perceperunt. Scimus alias etiam de priuato iure suo non semel eum insigniter remisisse, tantum nequid ex litibus in aliorum animis offensionis oriretur. Mercedēs, & pretia rerum suarum, si creditores cum eo forte conquererentur, familiare sue ipsi consulerent, ita iudicauit; vt non æquitatem solū expleret; sed expectationem quoque petentium, liberalitate vinceret. quibus de reb⁹ hoc loco breuitatis causa non explicamus. Cum ad locum diœcesis quendam venisset, vltimis

vite suæ annis; mulæ, & equi omnes, quibus ipse, comitatusque vehebatur, hospitis vel domesticorum eius culpa incendio necati sunt. at nihilominus hospes incensi stabuli sui damnum resarciri a Carolo petijt, facileque impetrauit. Quandiū summū sacra pœnitentiæ magistratum tenuit, nulla vinqum munia ad eum pertinentia vendi permisit; cumque modica inde percipi emolumenta nunciaretur; tantum abest, vt doleteret; vt lætitia potius afficeretur. Cum Aronæ arcem Gubernator, vt ante diximus, occupasset; adduci nūquam potuit, vt de restitutione quidquam ageret, aut suo nomine agi pateretur a Borromeijs; qui tamen aliquot post annis eam a Philippo Rege receperunt. immo cum eadē re nuncio Romam allato, Gregorius Pontifex grauius ferens, de ea restituenda suo nomine agi cum Rege iussisset; gratias egit ille quidem Pontifici: sed rogauit, vt ea omnia cura, rebus ecclesiæ suę potius perfecte consulere pergeret: de ijs reuera se vehementer sollicitum esse. atque vtinam, dicebat, in arcē Aronæ recidant, quęcumque possunt in ecclesiā committi. qua in re non rerum tantummodo humanarum contemptio nem; sed charitatem quoque insignē Ecclesiæ Carolus ostendebat; cuius rationes alijs vtilitatibus omnibus semper voluit anteferri.

Ad hunc locum ædificia referri possunt: quæ foris, & in vrbe magnis sumptibus ad publicam vtilitatē Carolus varijs temporibus extruxit. mitto profana, quæ Bononiæ, ac alibi quoque visuntur. Archiepiscopales, canonicalesque ædes eo loco ædificauit; quem a Ioanne Galeatio Sfortia Mediolani Duce Vidus Antonius Arcimbolus Archiepiscopus olim ad suam, canonicorumque habitatio nem obtinuerat. Cum enim ecclesiæ maioris ædificande causa, ædes ecclesiæ

De eius ædificationib⁹.
CAP. VIII.

Ecclesie dirute essent; neq; vniquam,
 vt promissum erat, siue Ducis sum-
 ptu, siue facultatibus ad ecclesie fa-
 bricam destinatis, restituta: tandem
 Arcimbolus, veteribus, & amplis
 aedificijs a Duce prope maiorem ec-
 clesiam impetratis, eorum quidem
 partem ad habitationem suam instau-
 rari curauit; sed tum opus ipsum im-
 perfectum; tum canonicorum domi-
 cilia nondum erant inchoata: Duce-
 que, ac deinde prouinciae Rectores
 partem canonicis attributam, quod
 Regiae propior esset, sordidis vrbibus
 occupabat. Carolus igitur, ijs omni-
 bus, Philippo Rege facile cedente, re-
 cuperatis; & ab iniusto, indignoque
 vsu vindicatis; tum Archiepiscopale
 palatium perfecit; & non modica
 parte vsq; a fundamentis fabricata,
 ad maximu familiarium, hospitiumq;
 numerum accommodauit: tum cano-
 nicales item contiguas maxima ex
 parte, certis attributis ex ijs quas
 possidebat, facultatibus; aedificauit:
 & magnas lapideas porticus adiun-
 xit. quibus aedibus circiter triginta
 domicilia continentur, quae singula
 canonici familiam commode, atque
 honorifice capiunt. Domum, inter-
 posita licet via, his adiecit, in qua
 xenodochium senum habebatur; vt
 ibi maiorum eiusdem ecclesiae pres-
 byterorum domicilia ex iisdem fa-
 cultatibus aedificarentur: cum xeno-
 dochium ad Othariana aedificia, de
 quibus superius attigimus, transfu-
 lit. In ecclesiarum, collegiorumque
 plurimas aedificationes magnam co-
 piam liberaliter contulit: de quibus
 narrare singillatim nimis longum es-
 set. Ticinensis collegij fabricam pri-
 mo suorum honorum tempore, ma-
 gnifico plane, regioque sumptu coe-
 perat; atque, ita amplam, vt ma-
 gnum nobilium adolescentum nume-
 rum caperet, qui varijs scientijs ope-
 ram darent. sed postea tantam speci-
 em submoleste ferens; & religio-

Par. III.

ra spectans, quam disciplinarum hu-
 manarum studia, laicorum fere ho-
 minum ciuiles progressus videretur;
 tum fabricae ornamenta, vt potuit
 temperauit; tum saepe de tota re cum
 amplis fructibus annuis, in alium v-
 sum conuertenda, qui diuinis, ec-
 clesiasticisque rebus magis conduce-
 ret, saepe cogitauit. sed Comite Fe-
 derico suo demu, cum aliorum ado-
 lescentum no paruo numero ibi col-
 locato; qui habitationis, tum disci-
 plinae in primis fundamenta quaedam
 iaceret; institutam loci rationem te-
 neri passus est; quam Federicus dein
 de optimis legibus constituit. Ades-
 ad ecclesiam S. Ioannis, vbi clericor-
 um constituit seminarium, magno
 sumptu aedificauit: alias itidem ad
 alteram eiusdem sancti ecclesiam, v-
 bi nobiles adolescentulos educabat.
 In ecclesijs, quas tenuit, quarumve
 fructus accepit, Romae atque alibi
 non vulgaria reliquit religiosae libe-
 ralitatis suae vestigia. ecclesiam vero
 S. Praxedis, cuius titulum post duos
 alios nactus retinuit semper carum-
 que habuit; omni licet emolumento
 nudam, pro eximia loci sanctitate,
 necessitateque, magno sumptu vna
 cum aedibus instaurauit in primis, &
 ornauit. Non praeterea fabrica
 Crupelliana in agro Mediolanensi:
 nam licet parochus alius satis pro-
 pinquus esset; ecclesiae tamen colonis,
 quamuis non ita magno numero, pre-
 cipue dandum existimauit, vt com-
 modissima salutis haberent adiu-
 menta. itaq; ecclesiam, domumq; suo in-
 signi sumptu fabricauit, parochi e-
 tiam stipendia constituturus, nisi mors
 anteuertisset. Ibi quoq; posuerat do-
 mus Archiepiscopalis fundamenta;
 & ne amplius aedificaretur, mors iti-
 dem impediuit. ad eam enim posses-
 sionem millia passuum viginti distan-
 tem, cum necessitas occupationum
 postulabat, libenter consueuerat conce-
 dere; opportunitate inuitatus, quod

M m 3 sub-

subuehi naui per riuum poterat, qui à flumine Adua Mediolanum decurrit; & ita itineris tempus etiam legendo, scribendoque; vtiliter consume- re. Ibidem in decliui ripa fluminis, cuius altitudinem prærupti lapides tenent, loca designauerat domui coniungenda; quibus abte distinctis, sacrisque imaginibus instructis, ad diuinas contemplationes quibus tantopere postremis annis erat intentus vteretur. Ac licet alia castella, possessiones, & villæ, præsertim ad Verbanum lacum, & in ipso lacu, plurimum haberent non dicam amoenitatis, quam minime curabat, sed ad diuina contemplanda commoditatis: neque tamen ibi quidquam sibi ædificandum cogitauit; neque adiuuit vnamquam; nisi vt loca in sua diocesi necessario sibi visenda.

Vt res gesserit.
CAP. IX.

In eius rerum gerendarum ratione, duo pene vulgari iudicio pugnantia videbantur. ex altera parte si spectaueras; totam rem admirabili quadam fiducia diuinæ providentiæ ita commissam videbas, vt nihil spei penitus in humanæ diligentis officijs relictum videretur: ex altera vero, cum nullum officij, studij, curæ, industriæ munus, tempusve præterniteretur: nihil in diuina ope positum propemodum arbitrabare. In negotijs suis mentem, animumque in primis perturbacionibus vacuum; in id firmiter intendebat; quod optimum, rectissimum, Deoque gratissimum videbatur. ea studiose Deo, plurimis deprecatoribus, publicisque supplicacionibus adhibitis, commendabat; quemadmodum historie cursu non semel indicatum est. tum, vt erat acri ingenio, iudicioque, omnia circumspiciebat; commoda, atque incommoda ponderabat; quibus vijs detrimentum importari posset; quibus remedium afferri, diligenter inuestigabat: calamo etiam difficultates, remedia, argumenta, cautiones; & omnino

quicquid in re tota esset, distincte; ordineque notabat; ne quid elabere- tur; aut imprudenter, permixte ve fieret. alienum præterea, consilium prolixè, ac patienter exquirebat. cumque plena quadam cognitione, perfectioneque omnibus in rebus delectaretur; tamdiu fixo animo vni rei insistebat; donec ipsa negotij, vt ita dicam, viscera diligenter inspexisset; quidque potius, meliusve esset ad eligendum cognouisset. quam ad rem subsidio erat capitis firmitudo eiusmodi, vt cum multas horas, puta sex, aut septem vni rei dedisset; tum etiam minime defatigatum, peneque integrum sese præberet. vetus pro- uerbum sequebatur, Age quod agis. ita enim perfecte agitur, quamquam ille pro naturæ quodam vicio sibi ferre tribuebat, quod fixe adeo in opere proposito perseveraret. Res in omnes partes versata, pleneque discussa videbatur; cum ille adhuc plurima inueniebat; quæ merito adde- ret, moneret, contradiceret. Scri- ptum; ab alijs intelligentibus perle- ctum; & emendatum; nam consuetudine sua multorum iudicium adhi- bebatur; pluribus tamen locis merito corrigendum demonstrabat; ipseque mutabat; limabatque diligenter pro negotij grauitate, vt molestim sape esset; quibus tam perfecta rerum species proposita non esset; tam diu immorari; ac non tandem probare, modumque ponere. Ac diuturna quidem in dubijs rebus utebatur delibe- ratione; diu si spatium esset, secum habebat; sæpius alienum consilium exquirebat. cum vero constitisset; celeriter; fortissimeque exequabatur, sic, vt plerisque persuasum esset, ne quidquam, nisi per auctoritatem fortasse maiorem, repugnari. Ad ita præ- stabatur; vt etiam granissimas res factile; ac nullo pene negotio facere videretur; neque enim vel insuetus motus apparebat, vel plura loquebatur,